




ROMA (I)

Geminī novum oppidum quaerunt. Rōmulus
Remum vocat: «Venī, Reme! Ecce ārea magna:
vidēsne eam? Ubi sunt sociī nostrī Albānī? Vocā
eōs!». Rōmulus imperat: Remus venit, āream vi-
5 det sociōsque Albānōs vocat: «Venīte, sociī! Ecce
ārea magna!». Iam geminī cum sociīs in āreā la-
bōrant atque novum oppidum faciunt. Nunc
Remus imperat: «Arātrum sūme, Rōmule, atque
fossam in terrā aperī!». Rōmulus arātrum sūmit
10 atque fossam in terrā aperit.

ārea *f* = locus magnus sine
aedificiīs

Remus *nōm sg* → Reme *voc sg*

sociī *nōm pl* → sociī *voc pl*

sūmere = capere



imperāre

arātrum *n*fossa *f*

Geminī nōn solum sociōs Albānōs, sed etiam
multōs peregrīnōs vocant. «Venīte, peregrīnī!»,
clāmat Rōmulus; «Manēte in oppidō nostrō!»,
monet Remus. Peregrīnī laetī oppidum novum
15 et magnum spectant atque in eō manent. Iī ge-
minōs interrogant: «Quod est nōmen novī oppi-
dī? Et quis est rēx eius? Nam maior inter frātrēs

nōn solum... sed etiam = et... et
peregrīnus = quī in aliā terrā
habitat

monēre = cōsiliū dare

spectāre : vidēre

quod = quid


nōmen *n*

I: clāmāre *infinitivus*
clāmat, clāmant *indicativus*
clāmā, clāmāte *imperativus*

II: vidēre *infinitivus*
videt, vident *indicativus*
vidē, vidēte *imperativus*

III: sūmere *infinitivus*
sūmit, sūmunt *indicativus*
sūme, sūmite *imperativus*

IV: venīre *infinitivus*
venit, veniunt *indicativus*
venī, venīte *imperativus*



dīi = deī *nom pl*
prīum... deinde...
sex = VI (6)

super + *acc*

bis (2x) sex = duodecim, XII (12)

itaque

rēgnum *n* = ubi rēx rēgnat

apellāre = vocāre

semper rēgnat. Esne tū frāter maior, Rōmule, an tū, Reme? Respondēte, geminī!». Rōmulus et Remus nōn respondent: geminī enim sunt, nec Rōmulus est maior geminōrum nec Remus minor est. 20



Itaque sociī geminōs monent: «Rogāte deōs atque signum eōrum expectāte». Geminī sociōs audiunt, deōs rogant et signum eōrum attentē expectant. In novō oppidō sunt duo montēs, Palātium et Aventīnum. Geminī eōs ascendunt: Rōmulus Palātium ascendit. Remus autem ascendit Aventīnum. Tunc geminī caelum spectant et signum deōrum expectant. Subitō multae aves in caelō volant atque sociī clāmant: «Ecce signum deōrum: dīi avēs mittunt! Numerāte eās!». Rōmulus et Remus avēs, signum deōrum, numerant. Prīum Remus sex avēs numerat et laetus clāmat: «Sex avēs! Sex avēs super Aventīnum volant!» Deinde Rōmulus bis sex avēs numerat et clāmat: «Duodecim avēs in Palātiō sunt! Itaque ego sum rēx novī oppidī! Dīi imperant!». Rōmulus novum rēgnum 'Rōmam' sociōsque 'Rōmānōs' appellat. Iam Rōmānī Rōmulum laudant, Remum autem nōn laudant. Itaque is laetus nōn est. 25 30 35 40

Rem tenē!

1. Respondē ad interrogāta:

- Ubi labōrant Rōmulus et Remus?
- Quem vocat Rōmulus?
- Estne parvum novum rēgnum?
- Num Remus maior geminōrum est?
- Quod signum deī mittunt?
- Quid est Palātium?
- Quot avēs numerat Remus? Quot Rōmulus?
- Quis est nunc rēx oppidī?
- Quod est nōmen novī rēgnī?
- Quem laudant Rōmānī?

2. Estne vērum an falsum?

- In parvā āreā Rōmulus Remusque rēgnum novum faciunt.
- Rōmulus imperat: «Fossam aperī, Remel!»
- Peregrīnī geminōs vocant.
- Rōmulus Remusque in Aventīnō avēs spectant.
- Remus sex avēs numerat.
- Rōmulus laetus est, nam Rōmānī eum laudant.

V	F

Vocābula disce!

3. Coniunge vocābula:

oppidum
arātrum
fossam
signum
deōs
montēs

ascendere
rogāre
sūmere
aperīre
facere
expectāre

4. Lege nārratiōnem atque dēpinge:

Ecce Claudia. Claudia parva puella est. Claudia in casā cum familiā nōn est, sed in silvā. In silvā sunt montēs: Claudia ascendit atque caelum spectat. In caelō decem parvae avēs volant. Claudia avēs numerat atque laeta eas salutat.

5. Compōne sententiās ex hīs verbis:

Exemplum: monēre: *Lārentia Faustulum monet: "Faustule, cūrā geminōs!"*

- a. laudāre: _____
- b. imperāre: _____
- c. spectāre: _____
- d. appellāre: _____

6. Convenitne verbum 'spectāre' an 'expectāre'?

- a. Rōmulus Remusque sociōs suōs Albānōs in magnā āreā _____.
- b. Socii et peregrīnī geminōs in Palātiō et Aventīnō _____.
- c. Remus sex avēs in caelō _____.
- d. Socii et peregrīnī signum deōrum _____.
- e. Rōmulus nōn iam caelum, sed sociōs suōs _____.

Ecce Lingua

7. Quid nōn convenit?

- a. imperat, parant, venit, venī
- b. venī, rogā, respondēte, sūme
- c. vocā, respondēte, iuvāte, venīte
- d. geminī, Reme, peregrīnōs, Rōmule
- e. venī, custōdī, virī, audī

8. Sequere exemplum et sententiās scribe:

Exemplum: Rōmulus in campō est; Remus eum vocat: "Rōmul_e_, venī!"

- a. Remus in casā est; Rōmulus eum vocat: "Rem____, venī!"
- b. Lupa ululat; Lārentia eam audit et dīcit: "Audīsne, Faustul____?"
- c. Faustulus puerōs videt atque Lārentiam vocat: "Lārenti____, venī et mē iuvā!"
- d. Rōmulus et Remus peregrīnōs vocant: "Venīte, peregrīn____!"
- e. Etiam fēminās iī vocant: "Venīte, fēmin____!"

9. Errāta corrige:

- a. Rōmulus imperat: "Reme, venī atque iuvat!"
- b. Remus quoque imperat: "Rōmulus, arātrum sūme!"
- c. Geminī peregrīnōs vocant: "Venīte, peregrīnī, et vidē novum rēgnum!"
- d. Socii monent: "Ascendere montēs atque avēs numerāte!"
- e. Peregrīnī geminōs rogant: "Quis in oppidō rēgnat? Respondēte, gemine!"

10. Imperā et condiscipulōrum tuōrum āctiōnēs dēscribe:

Exemplum: Claudia et Marce, surgite et fenestrās aperīte:

Claudia et Marcus surgunt et fenestrās aperiunt


- a. “_____, surge et iānuam aperī!”: _____
- b. “_____, venī et scrībe in tabulā!”: _____
- c. “_____, librum linguae Latīnae sūme eumque in armāriō pōne!”: _____
- d. “_____, aperī saccum condiscipulae atque stilum eius sūme!”: _____

11. Compōne sententiās cum ‘prīmum’/‘deinde’:

Exemplum: Rōmulus Remum videt eumque vocat.

= *Prīmum Rōmulus Remum videt, deinde eum vocat*

- a. Rōmulus arātrum sūmit atque fossam aperit.
= _____
- b. Socii monent: “Ascendite montēs atque avēs numerāte”.
= _____
- c. Rōmulus novum rēgnum ‘Rōmam’ vocat sociōsque ‘Rōmānōs’ appellat.
= _____



condere = facere, creāre

iubēre = imperāre

numquam *adv*

populus *m* = fēminae et virī quī
in oppidō aut patriā habitant

ac-currere = currere

maestus -a -um = trīstis

quī : is quī

inimīcus ↔ amīcus



ROMA (II)

Laetī Rōmānī magnum et pulchrum oppidum
condunt. Prīmum rēx Rōmulus imperat: «Arā-
trum sūmite, Rōmānī! Fossam aperīte! Mūrōs
pōnite!». Rōmānī arātrum sūmunt, fossam aperi- 45
unt, mūrōs pōnunt. Deinde rēx sociōs probōs vo-
cat eōsque iubet: «Sociī, mūrōs Rōmae cūstōdīte:
sī inimīcī mūrōs ascendunt, statim eōs necāte».
Sociī probī officium numquam neglegunt ac mū-
rōs bene cūstōdiunt, sed ecce Remus venit atque 50
mūrum Rōmae rīdet: «Quam parvus est mūrus
Rōmānus! Nōn probus rēx est Rōmulus, neque
rēgnum neque populum Rōmānum is cūrat!».
Clāmat Remus atque mūrum Rōmae ascendit!


Tunc Rōmulus subitō accurrit et Remum statim 55
necat! Clāmant Rōmānī, nam Remum mortu-
um vident. Maestus est rēx, sed lacrimās occultat
et clāmat: «Quī ascendit mūrum Rōmae, inimī-
cus Rōmae est! Ecce fortūna inimīcōrum! Valē,
frāter!». 60





Paulō post rēgnum Rōmulī multum crēscit: magnī mūrī oppidum cūstōdiunt et multa aedificia templaque in oppidō sunt. Etiam Rōmulus magnus rēx est: lictōrēs habet –lictōrēs duodecim virī
 65 sunt; iī Rōmulum cūstōdiunt–, neque is sōlus rēgnat, sed centum senātōrēs creat –senātōrēs Rōmulum rēctē monent. Magnum est rēgnum Rōmānum, etiam populus Rōmānus magnus est: multī virī Rōmam petunt atque in oppidō
 70 Rōmā manent. Fēminae autem paucae in novō oppidō habitant.

Senātōrēs Rōmulum monent: «Rōmule, invītā populōs vīcīnōs eōrumque fēminās cum Rōmānīs in mātirimōniō coniunge!». Sed populī vīcīnī
 75 Rōmānōs dēspiciunt atque mātirimōnium cum iīs recūsant. Estne laetus Rōmulus? Minimē, is laetus nōn est, sed irātus! Itaque rēx dolum parat: lūdōs pūblicōs dat atque vīcīnōs invītāt. Multae familiae vīcīnae Rōmam conveniunt et
 80 lūdōs Rōmānōs laetae spectant. Tunc Rōmulus signum dat atque Rōmānī fēminās puellāsque vīcīnōrum rapiunt! Iam nōn sōlum virī, sed etiam fēminae in rēgnō Rōmānō sunt.

aedificium *n*

lictōrēs



senātōrēs

centum = C (100)

rēctē adv = bene

mātirimōnium *n* 

dēspicere ↔ diligere

recūsāre = negāre

irātus -a -um

↔ laetus



dolum parāre = cōnsilium

contrā inimicōs praeparāre

lūdus *m*

lūdōs dare = lūdōs facere

con-venīre = simul venīre, in
unum locum venīre

Rem tenē!

12. Respondē ad interrogāta:

- Quod officium habent probī sociī Rōmānōrum?
- Quod est officium eius?
- Num Rōmulus Remum iniūstē necat?
- Num Rōmulus plōrat?
- Quī sunt inimīcī Rōmae?
- Quī sunt lictōrēs?
- Quī sunt senātōrēs?
- Cūr Rōmulus est irātus?
- Cūr vīcīnī Rōmam petunt?

13. Quis est? Quī sunt?

a. Nōn in oppidō Rōmā rēgnat, neque Rōmānī eum laudant. Mūrōs parvōs Rōmānōs rīdet et ascendit, atque rēx quī mūrōs cūstōdit eum necat.

b. Mūrōs Rōmānōs probē cūstōdiunt inimīcōsque oppugnant. Numquam officium suum neglegunt.

c. In oppidō Rōmā habitant. Sunt centum atque Rōmulum iuvant et monent.

d. Nōn peregrīnī, sed virī Rōmānī sunt. Rēx eōs creat. Iī inimīcōs improbōs oppugnant Rōmulumque cūstōdiunt.

14. Quis dīcit quid?

- «Arātrum sūmite!»
- «Quam parvus est mūrus Rōmae!»
- «Quī ascendit mūrum Rōmae, inimīcus est!»
- «Sociī, mūrum cūstōdīte!»
- «Rōmulus improbus rēx est!»

Remus

Vocābula disce

15. Adde adiectīva (cōnsīderā terminātiōnēs adiectīvōrum!):

- Rōmānī sunt _____ et novum oppidum condunt.
- Rēx sociōs _____ vocat eōsque iubet: «Cūstōdīte mūrum!»
- «Quam _____ est mūrus Rōmae!», clāmat Remus.
- Veniunt sociī Remumque _____ vident.

- e. _____ est rēx, sed lacrimās suās occultat.
 f. "Quī ascendit mūrum Rōmae, _____ est!", dīcit Rōmulus.
 g. _____ rēx dolum parat atque lūdōs _____ dat.
 h. Populī _____ Rōmam petunt cum familiīs suīs.

16. Coniunge vocābula:

dare
neglegere
pōnere
parāre
condere
recūsāre
dare

mūrum
mātrimōnium
oppidum
officium
signum
lūdōs
dolum

Ecce lingua

17. Sequere exemplum atque exercē tē in imperātivō et vocātivō:

Exemplum: Rōmānī arātrum sūmunt atque fossam aperiunt

→ Rōmulus imperat: "*Rōmānī, arātrum sūmite atque fossam aperite!*"

a. Sociī mūrum cūstōdiunt atque inimicōs necant.

→ Rōmulus imperat: "*Sociī,*"

b. Rōmulus multōs virōs fēmināsque invitat.

→ Senātōrēs monent: "

c. Rōmulus signum dat.

→ Senātōrēs monent: "


d. Rōmānī fēminās puellāsque vicinās rapiunt.

→ Rōmulus imperat: "

18. Perge narrāre fābulam:

Exemplum: Rōmānī laetī sunt et *novum oppidum condunt*.

- a. Sociī officium suum nōn neglegunt, itaque _____.
 b. Remus mūrum ascendit, itaque _____.
 c. Rōmulus videt Remum mortuum, sed _____.
 d. In novō rēgnō multī virī habitant, sed _____.
 e. Rēx irātus est, itaque _____.
 f. Rōmulus signum dat et _____.

porta *f*


resistere

oppugnāre

bellum *n* = pugna populōrum
contrā *prae*p+acc



aurō corrumpere

ōrnāmentum *n*aureus -a -um
< aurum *n*scūtum *n*armilla *f*

ROMA (III)

Maestī et irātī vīcīnī Rōmulum accūsant et Titus
Tatius, rēx Sabīnōrum, magnum bellum parat 85
atque populōs vīcīnōs contrā Rōmānōs dūcit.
Sed Rōmānī resistunt et multa oppida vīcīna
capiunt, itaque Sabīnī dolum parant atque Tar-
pēiam, puellam Rōmānam, corrumpunt: «Venī,
Tarpēia! Vidē bracchia nostra! Habēmus pul- 90
chra ōrnāmenta! Aperī portās Rōmae et acci-
pe ōrnāmenta nostra!». Tarpēia armillās aureās
Sabīnōrum spectat atque portās Rōmae statim
aperit! Iam Sabīnī Rōmam intrant, sed ante Tar-
pēiam clāmant: «Hīc sunt ōrnāmenta Sabīnō- 95
rum, puella improba et inimīca tuae patriae!».
Tunc Tarpēia nōn armillās, sed scūta Sabīnōrum
accipit! Sabīnī scūta super Tarpēiam iaciunt atque
eam necant. Deinde Capitōlium ascendunt at-
que Rōmānōs oppugnant! 100





Magnum bellum est inter Rōmānōs et Sabīnōs.
 Subitō fēminae Rōmānae, quae marītōs et patrēs
 in bellō vident, maestae accurrunt, clāmant, la-
 crimant atque in mediā pugnā, inter arma Rō-
 95 mānōrum et Sabīnōrum, capillōs ac vestīmenta
 scindunt. Tunc virōs ōrant: «Relinquitte arma!
 Cūstōdīte filiās atque fēminās vestrās! Cūrāte fa-
 miliās nostrās! Nōs et patrēs frātrēsque Sabīnōs
 et virōs Rōmānōs amāmus!». Neque Hersilia,
 100 uxor Rōmulī, lacrimās occultat atque marītum
 ōrat: «Vidē, Rōmule! Fēminae maestae et per-
 territae sumus, nam bellum timēmus: frātrēs et
 patrēs nostrī sunt Sabīnī, marītī autem liberīque
 Rōmānī sunt!». Prīmum Rōmulus Hersiliam au-
 115 dit; deinde maestās fēminās, perterritōs virōs,
 perversum bellum spectat; postrēmō arma relin-
 quit neque Sabīnōs oppugnat, sed ūnum rēg-
 num, ūnum populum cum iīs facit. Iam pāx est
 inter Rōmānōs et Sabīnōs: et fēminae et virī laetī
 120 sunt atque Rōmulum laudant. Maior est nunc
 populus Rōmānus magnaue Rōma, neque rēx
 Rōmānōrum populōs vīcīnōs iam timet.



inter + acc



scindere

capillus *m*vestīmentum *n*marītus *m* et uxor *f*
mātrimōnium *n*

liberī *m pl* = filiī filiaeque
 prīmum... deinde... postrēmō
 (vidē memorandum IV)
 pāx *f* ↔ bellum

Rem tenē!

19. Respondē ad interrogāta:

- a. Cūr Sabīnī maestī sunt?
- b. Num Titus Tatius Rōmam capit?
- c. Quid faciunt Sabīnī?
- d. Quae est Tarpēia? Quid ea spectat?
- e. Cūr Sabīnī Tarpēiam necant?
- f. Cūr fēminae lacrimant?
- g. Quae est Hersilia?
- h. Cūr Rōmānī Rōmulum laudant?

20. Quis est?

a. Nōn Rōmāna, sed fēmina peregrīna est. Maesta est capillōsque scindit, nam pater et vir inimicī sunt.

b. Est improba puella Rōmāna. Ea ōrnāmenta Sabīnōrum spectat, itaque portās Rōmae aperit.

c. Est irātus rēx peregrīnōrum, nam Rōmulus fēminās Sabīnōrum rapit. Sociōs vocat et bellum parat.

d. Uxor eius lacrimat, nam is contrā patrem pugnat. Magnum oppidum populumque habet.

21. Fābulam in ōrdinem redige:

- ___ puella Rōmāna portās Rōmae aperit, quia armillās inimicōrum exspectat
 ___ Sabīnī Rōmam intrant atque Tarpēiam necant
1 Sabīnī dolum contrā Rōmānōs parant
 ___ īi puellam Rōmānam corrumpunt
 ___ nam scūta sua, nōn armillās iaciunt!
 ___ Sabīnī autem nōn capiunt Rōmam

Vocābula disce!

22. Adde vocābula ad fābulam:

accurrit / arma / autem / bellum / creā / maestae / maior / monet / ōrant / rēgnum / scindunt / virī

Fēminae Sabīnae _____ sunt, itaque capillōs et vestīmenta _____. Eae _____: "Relinquite _____! Vōs, _____ nostrī, Rōmānī estis, patrēs _____ Sabīnī sunt!". _____ Hersilia atque Rōmulum _____: "Ūnum _____ cum Sabīnīs _____!" Nōn iam _____ sed pāx est: _____ est nunc Rōma.

23. Quid non convenit? (Significātum vocābulōrum cōsiderā!)

- a. cūrāre, oppugnāre, dolum parāre, corrumpere
- b. laudāre, accūsāre, invitāre, amāre
- c. liberāre, bellum parāre, necāre, oppidum capere
- d. lacrimāre, vestīmenta scindere, creāre, timēre

24. Quid est?

- a. Ōrnāmentum aureum Sabīnōrum est.
- b. Sabīnae eōs scindunt, nam maestae sunt.
- c. Arma quae Tarpēiam necant.
- d. Tarpēia eās aperit.
- e. Virī inimicōs nōn oppugnant, neque bellum parant.

25. Quae est sententia?

Hersilia
Sabīnae
Sabīnī
Filiae
Rōmānī

bene
capillōs
patrēs
Tarpēiam
Rōmulum

resistunt
corrumpunt
scindunt
ōrat
amant

Ecce lingua

26. Sequere exemplum atque exercē tē in imperātivō et vocātivō:

Exemplum: Rōmānī resistunt atque oppida vīcīna capiunt.

→ Rōmulus imperat: "*Rōmānī, resistite atque oppida vīcīna capite*"

- a. Sabīnī Rōmam petunt eamque oppugnant.

→ Titus Tatius imperat: "

- b. Rōmānī fēminās audiunt atque arma relinquunt.

→ Fēminae ōrant: "

- c. Tarpēia venit atque armillās aureās videt.

→ Sabīnī clāmant: "

- d. Rōmulus Sabīnōs invitāt atque ūnum rēgnum creat.

→ Hersilia monet: "

27. Scribe plūrālīter aut singulārīter:

- a. «Amīce, venī atque adiuvā!»

- b. «Venīte, peregrīnī! Adiuvāte! Vidēte novum magnum rēgnum!»

- c. «Rōmāne, arātrum sūme atque fossam aperī!»

- d. «Deōs rogāte, geminī, atque eōrum signa exspectāte».

56 Capitulum III

e. «Frātrēs, ascendite montēs atque avēs numerāte».

f. «Mūrum pōnite, Rōmānī!»

g. «Peregrīne, mūrum cūstōdī et inimīcōs necā».

h. «Aperī portās Rōmae, fēmina!»

i. «Rōmānī, relinquite arma! Cūrāte filiās atque fēminās vestrās!»

j. «Rōmānī, ūnum rēgnum facite!»

Cōgitō ergō... grammaticam discō!

MEMORANDVM I: Cāsus Vocātīvus

Rōmulus Remum vocat: "Reme, venī!"

-us **nōminātīvus** est.

-um **accūsātīvus** est.

-e **vocātīvus** est.

Masculinum

Nōm sg -us → Voc sg -e

Exem: Reme, venī! Remus venit.

Nōm sg -er → Voc sg -er

Exem: Puer, venī! Puer venit.

Nōm pl -ī → Voc pl -ī

Exem: Geminī, venīte! Geminī veniunt.

Nōm pl -ī → Voc pl -ī

Exem: Puerī, venīte! Puerī veniunt.

Fēmininum

Nōm sg -a → Voc sg -a

Exem: Puella, audī! Puella audit.

Neutrum

Nōm sg -um → Voc sg -um

Exem: Ō, pulchrum rēgnū!

Nōm pl -ae → Voc pl -ae

Exem: Puellae, audīte! Puellae audiunt.

Nōm pl -a → Voc pl -a

Exem: Ō, magna saxa!

MEMORANDVM II: Prīma et secunda dēclīnātiō

Ecce cōspectus vocābulōrum quae in hīs tribus capitulīs vīdimus. Omnēs cāsūs singulārēs et plūrālēs indicantur ad vocābula fēminīna, masculīna, neutra. Mūtātiō cāsuum dēclīnātiō vocātur.

	I - Fēmininum		II - Masculinum		II - Neutrum	
	singulāris	plūrālis	singulāris	plūrālis	singulāris	plūrālis
Nōm	fēmina	fēminae	amīcus	amīcī	oppidum	oppida
Voc	fēmina	fēminae	amīce	amīcī	oppidum	oppida
Acc	fēminam	fēminās	amīcum	amīcōs	oppidum	oppida
Gen	fēminae	fēminārum	amīcī	amīcōrum	oppidī	oppidōrum
Dat	fēminae	fēminīs	amīcō	amīcīs	oppidō	oppidīs
Abl	fēminā	fēminīs	amīcō	amīcīs	oppidō	oppidīs

MEMORANDVM III: Imperātīvus

I (amāre)

Imperātīvus singulāris:

→ amā

Imperātīvus plūrālis

→ amāte

II (vidēre)

Imperātīvus singulāris:

→ vidē

Imperātīvus plūrālis

→ vidēte

III (sūmere)

Imperātīvus singulāris:

→ sūme



Imperātīvus plūrālis

→ sūmite

IV (audīre)

Imperātīvus singulāris:

→ audī

Imperātīvus plūrālis

→ audīte

MEMORANDVM IV: Adverbia

• Primum (1) – Deinde (2) – Postrēmō (3)

Primum puer plōrat

Deinde māter eum nūtrit

Postrēmō eum in lectō pōnit



• Tunc

- Ecce fābula: «Puer perterritus in silvā est neque amīcōs suōs videt. Subitō lupa ululat atque puerum petit! **Tunc** puer currit et...»

MEMORANDVM V: Coniūctiōnēs

• Et... et...

- Et Rōmulus et Remus filii Silviae sunt (: *nōn tantum Remus, sed Rōmulus quoque!*)

- Et Rōmānī et Sabīnī Rōmulum laudant (: *nōn solum Rōmānī, sed etiam Sabīnī!*)

• Itaque

- Rōmānī fēminās Sabīnās rapiunt. **Itaque** Sabīnī irātī sunt (: *Sabīnī irātī sunt quia Rōmānī fēminās Sabīnās rapiunt*).

- Remus mūrum ascendit. **Itaque** Rōmulus eum necat (: *Rōmulus Remum necat quia is mūrum ascendit*).

Vocābula III

LECTIO I

an
aperire
appellare
arātrum *n*
area *f*
ascendere
Aventinum *n*
avis *f*
bis
caelum *n*
deinde
duodecim
exspectare
fossa *f*
imperare
itaque
laudare
mittere
monere
montes *m*
nōn solum... sed
etiam
numerare
Palātium *n*
peregrinus -a -um
primum
rogare

Rōma *f*
Rōmānus -a -um
semper
sex
signum *n*
solum
spectare
sumere
super
terra *f*
tū
volare

LECTIO II

accurrere
aedificium *n*
centum
condere
coniungere
convenire
creare
dare
despicere
dolus *m*
fortuna *f*
inimicus -a -um
invitare
iratus -a -um

iubere
lacrima *f*
lictor *m*
ludus *m*
maestus -a -um
matrimonium *n*
multum
murus *m*
numquam
parare
paulo post
populus *m*
post
publicus -a -um
qui *m*
recte
recusare
regnum *n*
senator *m*
si
tunc
vicinus -a -um

LECTIO III

accipere
armilla *f*
aureus -a -um
bellum *n*

capillus *m*
contra
corrumpere
filia *f*
Hersilia *f*
inter
lacrimare
liberi *m pl*
maritus *m*
medius -a -um
nos
orare
ornamentum *n*
pax *f*
porta *f*
postrum
quae *f*
resistere
Sabīnus -a -um
scindere
scutum *n*
Tarpēia *f*
Titus Tatius *m*
uxor *f*
vestimentum *n*

Dē linguīs comparandis:

- Quaere vocābula hodierna quae ex hīs vocābulis Latīnīs dēriventur: 'capillus', 'populus', ...

Aurea dicta:

Haec 'aurea dicta' lege eaque cōsiderā: "Ab urbe conditā", "Sī vīs pācem, parā bellum", "Audētēs fortūna iuvat" (Vergilius, *Aenēis* X 284), "Faber est suae quisque fortūnae", "Fortūna caeca est" (Cicerō, *Dē amicitia* 54, 6).

Suntne alia 'aurea dicta' quibus vocābula huius capitulī contineantur? • Quaere ea.